



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De poena cuiusdam principis Alemanniae, cap. 3.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

700 DE POEN. ET GLOR. MOR.  
fletus & stridor dentium, & reducto, sic princeps principem affatur; Bibe amice de scypho meo: illo valde reluctantate, cum nihil proficeret, imo coactus biberet, flamma sulphurea de oculis naribusque eius erupit. Post hoc sic insit: Modo considerabis puteum meum, cuius profunditas sine fundo est, amotoque operimento, eum in illum misit, & removit. Ecce iste est puteus, in quo eum clericus vidit, sicut prædictum est in distincta prima, cap. tricesimo-quarto.

C A P V T III.

**N**on est diu, quod alter quidam princeps Alemanniq; mortuus est, post cuius obitum, cum quidam sacerdos, cui multa bona fecerat, die noctuque lachrymis & gemitu Deo pro illius anima supplicaret, nescio quis sanctorum ei in oratione assistens, ait: Quare tantum laboras pro homine hoc damnato? Nihil enim illi prodest, imo magis obest, eo quod anima eius in profundum inferni dimersa sit. Respondente sacerdote: Domine, multa bona fecisti mihi, multum enim illi teneor. Sanctus subjunxit: Cessa pro eo orare, quia anno integro, antequam sepeliretur, mortuus est, cuius corpus malignus spiritus loco animæ vegetabat. Fuerat idem princeps tyrannus maximus, vir magnanimus, modicum habens timoris Domini. APOLEONIUS: Non putavi corpus humanum sine anima posse comedere, bibere, vel dormire. CASSIUS: Simile legitur in vita sancti Patricij Hibernensis Episcopi, de quodam homine, qui aurigam eius occidit, in cuius corpore diabolus multis annis pro anima habitans, cum ad nutum sancti exisset, corpus corruit, & in puluerem redactum est. Irem simile audiui a monacho nostro Gerardo quondam Bonnensi scholastico.

C A P V T IV.

**C**lericus quidam tam egregiam & tam dulcem vocem habebat, ut audire illam deliciae reputarentur. Die quadam religiosus vir quidam superueniens, & cithara illius dulcedinem aure percipiens, ait: Vox ista hominis non est, sed diaboli. Cudit vero